

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ,  
perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Peccatis Et Gratia

**Vindalium, 1646**

Sectio III. De diuisione in peccatum commissionis & omissionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38789**

## DE PECCATIS. CAP. VI. 55

caatum specie obiectum , in genere mo-  
ris, adeoque eadem deformitas in pec-  
cato cordis,oris,& operis: posteriori ve-  
ro sunt tria obiecta specie distincta, to-  
tidemque deformitates seu dissonantiae,  
cum recta ratione.

---

## SECTIO III.

*De diuisione in peccatum commissionis  
& omissionis.*

## CONCLUSIO I.

**A**lia est diuisio peccati,in peccatum commissionis,& omissionis.) De hac agit S.Doctor art. 6. vbi docet 1. commisionem , & omissionem si spectentur materialiter , seu in genere naturæ differre inter se specie ; latè tamen loquendo de specie,secundum quod negatio vel priuatio speciem habere potest. 2. si commissio , & omissio spectentur forma-liter in ordine ad finem , & obiectum proprium non differre specie ; quia ad idem ordinantur, & ex eodem motiuo procedunt. Avarus enim ad congregan-

C 4

36. TRACTATUS.

dam pecuniam, & aliena rapit, & non dat ea quæ dare debet: & similiter intemperans ut gulæ satisfaciat, & superflua comedit, & iejunia debita prætermittit.

Hic locus difficilis est quia probabilius videtur peccata commissionis, & omissionis inter se specie differre, ut tradit ipsem̄ Doctor Angelicus. 2. 2. quæst. 79. art. 2. siquidem peccatum commissionis non tantum materialiter, sed etiam formaliter est aliquid posituum, ex dictis cap. 1. peccatum autem omissionis est mera priuatio actus debiti, at ens posituum, & priuatio distinguuntur specie, ergo, &c. Confirmatur, nam peccatum commissionis habet posituum repugnantiam cum recta ratione, peccatum vero omissionis priuatuum duntaxat, atque adeo distinctam specie, at specifica distinctio peccatorum sumi sumi solet, ex distincta specie repugnativa cum recta ratione, seu cum virtute.

Vnde collige 1. peccata commissionis, & omissionis specie distingui, quando opponuntur diuersis virtutibus, ut patet in homicidio, & omissione sacri, quorum illud repugnat iustitiæ, hæc religioni. 2. etiam distingui specie, quando eidem virtuti opponuntur, ut contingit in sacrilega Missæ celebratione, & omissione

DE PECCATIS. CAP. VI. 57

ne sacri, quæ religioni repugnant.

Quæsti hic potest, an diuisio paccati in commissionem, & omissionem sit adæquata. Respondent aliqui negatiuè, quia putant voluntatem interdum conari ad ponendam volitionem malam, nec tam eam ponere, talem autem conatum esse peccatum, nō quidem commissionis, cùm non sit actus, nec omissionis, cum non repugnet præcepto affirmatio.

Verū sententia oppositā est communis, & tenenda, quia omne peccatum est prævaricatio legis; at duobus tantum modis quis legem transgreditur, vel quia facit quod lex prohibet, vel quia non facit, quod lex præcipit, sicque non potest peccare, nisi aut per omissionem, aut per commissionem. Neque admittendus est conatus aliquis in voluntate, qui non sit actus, quia cùm sit entitas realis, & vitalis ab ea elicita, nihil aliud esse potest quam quidam illius actus. Vnde conari ad volendum, aut nolendum, idem est ac velle, aut nolle; seu producere volitionem, aut nolitionem; ac proinde repugnat, quod voluntas conetur ad producendam volitionem, & non velit. An autem possit dari pura omissione, dictum est præcedenti capite.

C 5